



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Lingva Avrea Christianorvm**

**Ruben, Leonhard**

**Padibornae, 1606**

Qvamdiv Tacendvm Sit.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)



fortè Abbas alicui aliquid iusserit.

Omni  
ferè  
tempo-  
re &  
maxis-  
mè nos-  
trè.

Decimumtertium tempus est  
cùm cœnobitis, omne ferè tempus  
& maximè nocturnum. Hinc D.  
Benedictus eodem capite 42. san-  
ctissimæ suæ regulæ ità sub initium  
capitis inquit, omni tempore silen-  
tio studere debent monachi, ma-  
ximè tamen nocturnis horis.

QVAMDIU TACEN-

DVM SIT.

CAPVT XLVII.

*Traduntur septem potissimum tempora qui-  
bus tacendum sit.*

**P**Rimò tacebis, quoad benè te-  
cum cogitaueris, quid loqui  
volueris & verba in mente discuf-  
feris. Cuius rei exemplum à gallo  
gallinacio sumere poteris; qui an-  
tequàm cantet alas suas tertio ex-  
cutit. Verba enim sagittis sunt si-  
milis aut globis tormentarijs qui  
emissi retrahi nequeunt, quare  
prius rectè collimandum est ad de-

stinatam



stinatam iaculis metam, antequam  
emittantur. Vide quæ diximus de  
Xenocrate cap. 27. num. 2. vnde id,  
*Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.*

Et illud.

*Et semel emissum volat irreuocabile verbum.*

Huic rex quidam Angliæ vt est  
in speculo exemplorum distinct.  
3. habuit tres filios quorum indo-  
lem explorans, quæsiuit, quid da-  
ta optione præ omnibus expete-  
rent: quorum primus, maior natu  
expetiuit fortitudinem; alter pul-  
chritudinem; tertiùs verò omniù.  
que minimus collum gruis sibi o-  
ptaui, idq; eo fine vt non nisi be-  
nè discussa verba promeret. Qui  
etiam ob id vti prudentior cæteris,  
regium diadema & solium obti-  
nuit. Cui haud absimile quòd Chi-  
lon Lacædemonius, vnus è nu-  
mero septem Sapientum dicebat;  
non committendum vt linguæ  
præcurrerent mentem, admonens

Ang  
gliæ  
rex.

Chilon



prius cogitandum quid loquaris, quam lingua prorumpat in verba. Nescit enim vox missa reuerti; cogitatio prior potest corrigi posteriore meliori, vt communi tritoque fertur prouerbio, Vox non item.

Secundò, tacebis quoad bene loqui didiceris. Hinc Eccli. 16. 19. Antequam loquaris disce. Vide plura superius capit. 33. num. 3. De Catone Vticensi, & cap. 42. num. 3. de Pambone Abbate.

Tertiò, quoad alter responderit. Hinc Prou. 18. 13. *Qui respondet prius antequam audiat, stultum se esse demonstrat & confusione dignum.* Cui adde id Eccli. 11. 8. *Prinsquam audias ne respondeas verbum.*

Quartò, quoad interrogatus rueris ad minus bis, si fueris adolescens. Hinc Eccli. 32. 10. *Adolescens loquere in causa tua vix: si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum, in multis esto quasi in-*

*sciens.*



*scijs.* Sic vt legimus in Vitis Patrū, frater quidam interrogauit senem quamdiu esset tacendum. Qui respondit. Vsquequò interrogaberis. In omnibus si tacitus fueris, requiē habebis.

Quintò quoad habueris apud alios auditum. Vnde Ecclesiastici 32. 6. dicitur. *Vbi auditus non est non effundas sermonem, & importunè noli extolli in sapientia tua.* Et eodem libro cap. 22. 8. *Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de graui somno.* Alioqui vt est ibidem vers. 6. vt *Musica in luctu importuna narratio*, sic si cū alijs non attendunt, loquamur. Vnde & D. Paulus tam in Synagoga Actor. 13. 16. quàm tempore tumultus in gradibus castri manu petiuit silentium, Actor. 21. 40.

Sextò, multi ad multos annos id seruarunt, sicut diximus de D. Paulo simplici, qui per triennium



id seruauit suprà cap. 33. vers. 3. vt  
& de totidem annis de Abbate A-  
gathone cap. 34. num. 5. Per septé-  
nium quoq; aliquos seruasse in ere-  
mo silentium, docet D. Hierony-  
mus lib. ad Eustochium de institu-  
tione sanctarum virginum, qui  
prorsus nullum verbum vlli ho-  
minū dixerāt; scientes, inquit, quòd  
in multiloquio Dominus haberi  
non possit. Totidem, septem scili-  
cet annis, Romoaldus Abbas, Or-  
dinis Camaldulensis auctor, teste  
Domino Laurentio Surio, silentiū  
seruauit, dum montem solitarius  
incoleret. Quo septenni silentio  
intelligentiam Psalmorum meruit  
percipere. Quos cū argutè & e-  
leganter exponeret dicere vide-  
batur. *Dedit mihi Dominus linguam  
mercedem meam, & in ipsa laudabo  
eum.* Qui post hæc miraculis cla-  
ruit, vt pro eo qui Dei amore tot  
annis tacuerat, signa loquerentur.



Triginta quoq; annis Theonem  
 Abbatem in cellula clausum silen-  
 tij habuisse obseruantiam & con-  
 tinentiam docet Palladius Histor.  
 50. Qui non minus quàm præce-  
 dens miraculis illustris fuit, nemi-  
 nem enim ægrum à se dimisit qui  
 curationis gratia eum accessisset.  
 Et ne desint exempla Gentilium  
 considera quinquennium silentij  
 discipulorum Pythagore, de quo  
 egimus cap. 33. num. 3.

Septimò, huc referendi ij qui  
 nunquam toto vitæ tempore in  
 cœnobijs leges taciturnitatis præ-  
 terierunt, vt videre est de Radul-  
 pho Ordinis D. Benedicti in mo-  
 nasterio Affliginiensi, de quo egi-  
 mus cap. 24. 2. De quodam etiam  
 fratre Ordinis Cisterciensis, de  
 quo fuit mentio capit. 34. num. 6.

De milite etiam qui factus cœ-  
 nobita capit. 26. num.

primò.

*Qui  
 nun-  
 quam  
 locuti.*

QVO